

uniuersis per orbem ecclesiis presidemus, uniuersis per orbem sancte ecclesie filiis providere debemus, ne forte filii tante matris alicuius lesionis incommoda paciantur, quo minus spiritualibus exercitiis^a operam dare possint^b corporalis molestie scandala sustinentes. Eapropter, dilectissime fili R., petitioni tue, que ad pacem tuam respicit, apostolicas aures inclinamus, quatinus et tu de beneficio sedis apostolice gratuleris et fratres tui pio desiderio bonum, quod circa te uiderint, emulentur et ad consequendam gratiam apostolicam tuo prouocentur exemplo. Pruuinensem igitur archidiaconatum, quem iam obtinere dinosceris, et cetera uniuersa, que uel in presenti possides uel iuste et canonice de reliquo fueris consequutus, sub tutela beati Petri et nostra suscipimus et ad possidendum tibi pacifice et quiete apostolica auctoritate confirmamus et ne quis de cetero quietem tuam inquietare uel bona tua minuere temerario ausu presumat, modis omnibus prohibemus^c. Si uero aliquis sciens hanc nostre institutionis paginam contra te insurgere uel bona tua minuere de reliquo temere presumserit, nouerit se apostolice indignationis iacturam incurrere et honoris sui periculum maturius experiri.

5.

fol. 77^a. Reuerendo patri et domino suo E. summo pontifici R. dictus abbas S[enonensis] e[cclesie] b[eati] I[ohannis] e[uan-geliste] salutem perpetuam et debitam obedientiam. Paternitatis uestre sublimitas nouit, quoniam ueritatem silentio tegere ueritatis ipsius cognitor non debet, maxime quando ueritatem ipsam negare, minuere uel immutare quilibet contendit ad incommodum proximi sui. Quia uero, domine pater, uera frequenter et falsa pro uoluntate singulorum ad audientiam uestram^a deferuntur, ne forte nigrum coram uobis in candidum uerti^b possit, cognitores ueritatis, prout nobis uidetur, sanctitatem uestram munire debent, ne quando coruus de columbinis plumis in conspectu uestro gloriari presumat. De verbo igitur a Simone Remensi nostrate quodam tam in nostra quam in sinodalis conuentus audientia prolato uera paternitati uestre scribimus, ne forte si quis aliud uel aliter de eodem suggerere temptet, fallacie cuiuspiam credere debeatis. Cum enim in conuentu sinodali de quibusdam predictum Simonem argueret archi-

4. ^a) exercitiis *Hs.* ^b) possint *Hs.* ^c) prohibebemus *Hs.*

5. ^a) nram *deutlich Hs.* ^b) *Vgl. Iuuenal Sat. 3, 30: mancant, qui nigrum in candida vertunt.*